



DEO ET NUPTIIS SACRUM  
ILLVSTRIVM SPONSORVM

GENEROSI ET CLA-  
RISSIMI HEROIS, DOMINI  
THEODORI à ZEROTIN LIB:  
Baronis in Strasnitz &c.

ET

GENEROSAE LE CTISSIMAEQVE  
VIRGINIS ELISABETHÆ, MAGNIFICI ET  
illustris Domini D. Adami Slavvätz lib. Baronis à Clum,  
Coshenberg, & in Czeftin, S. C. M Con-  
filiarii Filia. dicabat

*M. Cornelius ab Enden.*

P R A G E

Typis M. Danielis Adami  
Anno Sal. hum.

M. D. XCII.





ILLVSTRISSIMO V. AC  
D. D. THEODORO à ZEROTIN  
L. B. IN STRASNITZ &c. D. SVO CLE-  
mentis. COR. ab Enden sal. dico.



**Q**VOD TAM IMPOLITVM, QVAM BREVE  
hoc Poema, Illustris. tuis Hymeneis dedicatum, in lucem prodit,  
id ne inclementius accipias summopere à te peto; subito enim, an-  
gustiae temporis causa pangendum erat. Verum absq, hoc etiam  
praestat de illustrium virorum laudibus vel nihil, vel parca, vel  
neudse loqui; nam quod per se gloriosum atq, splendidum est, verba-  
rum coloribus non indiget. Cur autem Magnificentiae tuae de thalami patris gratulatus  
sim, honestae sunt rationes. Praetereo splendorem generis, amorem & fauorem, quo bo-  
narum artium studia prosequeris, accedit totius Slavatinae Domus causa, cui summa quaeq,  
debeo. Cum primis tamen instinctu D. mei, D. VVilhelmi Slavatae summopere observandi,  
sui morem lubens gessi. Hanc itaq, exilem meam operam aequi, boniq, consulas, eoq,  
quo praestata est animo, accipias, rogo. Bene vale Illustris; D. Dne.  
clementissime. Scriptum Praga die Conuers. Pauli  
Anno 1592.

6 (\*) 90



1997 KK 69  
AKC. 16/40

D. O. M. S.

**I**N uida primorum MORS vicula rupit amorum,  
Expertem thalami THEODORVM ducere vitam  
Intendens, Miseram at studium decepit Amorum:  
Turba sagax, fraudisq, perita, hominesq, DEOS QVE  
Fallere noverunt. Theodorus conscius huius,  
In Nemus idalium, paphiam concessit ad Aulam.  
Sic ubi progreditur per opima novalia cypri,  
Offendit Venerem cycnorum colla prementem,  
Undiq, quam pennata cohors, glomerantur Amores  
Armati faculisq, manus, humerosq, sagittis.  
Equibus hic picto pavone residet, olore  
Hic vehitur nioco, rutilae ille premit columbae  
Terga ferox, roseisq, docet parere lupatis.  
Ante alios, tereti variatus iaspide plumas,  
Arte valet, quo non praestantior alter Amorum,  
Seu celeres agitare faces, seu spicula cornu  
Fundere, seu vinculis annectere colla, CVPIDO.  
Quem Theodorus alens in pectore dulce venenum,  
Talibus aggreditur dictis, ac sistit euntem.  
Nate DEA, viresq, meae: concede precanti  
Exiguam pro more operam. penetrare profundi  
Pectora non opus est Iouis, aut incendere flammis  
Medeam cecis, faciem, mortaliaq, ora

Induere Ascanij. solummodo carpe pharetram  
Stipatam iaculis medicatis felle, manuq;  
Fatiferas apprehende faces, & feruidus arcum  
Fulgentem suspende humeris. Intellige mentem,  
Inuisam subit ira tuo nunc fallere Mortem  
Auxilio, donis, quæ, me spoliavit opimis:  
Donis, quæ sancti quondam medicamen amoris:  
Donis, ritè tuo studij de munere captis,  
Ergo age, Marte potens ulciscere damna iugalis  
Foederis. in cætu si sit tibi nota Dianæ  
Nymphe, venusta, decens, tædis genialibus apta:  
Alteriusue chori, Hanc dictis affare benignis:  
Huic mea vota refer, pariter penitusq; latebris  
Insere te cæcis animi; nam me altera portat  
Omnibus indagantem oris, atq; urbibus æstas,  
Nec mihi visa cui vincolo sociare iugali  
Me vellem. verè fatalia foedera lecti!  
Uxor honesta DEI donum est, præstantius ullum  
Quo non Orbis alit, datur haud nisi sæpe precando.  
Hæc ubi fatus erat, iam qua ratione quod instat  
Exequi AMOR possit, dudum meditatùs, & inquit  
Mecum erit iste labor. quam primùm crastinus ortus  
Auroram tulerit, pedibus talaria uingam,  
Regna Bohemorum repetam, tua vota faceßam.

Arx munita iugis (aures aduerte docebo.)  
Coschenberca iacet montis, caput edita, summis,  
Moraviam contra: Charitesq;, Chorusq; Dianæ  
Hanc colvere, colunt nisi fallor, dote pudoris,  
Seu studio, formaue prior chorus haud mihi visus.  
Huic sociata, Genus generosa, genasq; decora  
Elisabetha, viro matura, & nubilis annis:  
Gloria Slawaticæ Genio non infima Gentis.  
Huius ego mentem primùm tentabo precando  
Inde venenatam nervo impellente sagittam  
Exturbabo, meis ne dictis fortè recuset  
Parere. His fatis libratus in æthera pinnis  
Ocyus, ingentis petit Arcis culmina, muros  
Transuolat, hinc vigilans expectat Virginis ora  
Egregiæ, totiq; choro iuvat ore salutem  
Impertire, audasq; e pectore promere uoces.  
Sunt tibi tot formæ Nymphe præstante, Diana,  
Quarum quæ vultu pulcherrima fertur ELISA:  
Hanc Theodorus auct, Zerotinæ Gentis alumnus,  
Connubio vincire sibi: tædaq; iugali  
Nectere, Nestorium quò secum hinc exigat æuam.  
Plurima verba inter quoq; tela precantia fundit  
Sæuus AMOR, penitus latebras in pectoris imas  
Serpit, & insano depascitur igne medullas,

Ingemuit volucris costas traiecit sagitta:  
Attointa cecidere manu pendentia fila.  
Dicta Diana diu dubio sub corde uolutat,  
Vidit anhelantem sub pectore feruere flammam.  
Stat deiecit oculos, tandem sic ora resoluit.

Nate DE A, uestræ non sum immemor artis, opisque  
Matris, at a cepto remorantur plurima, namque  
Illa mei pars magna chori, mea sola voluptas,  
Huic arcus, huic fessa meas do ferre sagittas  
Innumeris agitata feris, nec Præsul Apollo  
Hanc sinet acetu, nisi magna cum arte reuelli.  
Instat Amor, non ulla quies, non prima negasti  
Foedera connubij: nec Apollo vota remisit  
Frita: Nympharum quæ formâ haud cesserat ulli  
Nec studio, Generis nec nobilitate, nec ampla  
Copia opum. quondam sata Scrinezeia proles.  
Inde precor uigili perpendito mente, quod hanc non  
Appetit: Asteropen ut fertur Marte petita,  
Neptuno Alcionen, Ioue Taygetesque potente.  
Coniugio ast stabili, rogat æternoque Hymenæo  
Se Nymphæ iungi paterer cur ergo repulsam?  
His animum mulcet dictis, redijtque serena  
Frontis bonos Generis spes, pignora sera Nepotum,  
Multa viri virtus, laudandaque uita recurjat.

Fatifero interea iam dudum saucia cornu  
Elisabetha, virum Theodorum ardebat amantem.  
Conueniunt quibus alma tori sunt foedera curæ,  
Remque uolabant, oracula mittit Apollo  
Dextera, Dianæ circum chorus astitit omnis.  
Tum læuum intonuit, quo copula fulmine firma  
Est Ioue rata: Animi nil magnæ laudis egentes,  
Elisabetha, viro Theodoro iuncta, dicata  
Propria, quem multa factura est prole parentem.  
Talibus elisa est è cætu ELISA Dianæ.

Pronubus ergo DEVS thalami qui pacta Secundi  
Contraxit, dabit euentus habitura SECUNDOS;  
Nam Diuum auspicijs: precibusque exorsus amorem,  
Arbitrium accedit Patrum, et consulta uoluntas.  
Hæc ubi seruatur methodus, dubio sine, uobis  
Æternos Cypris mittet: DE A Cypris amores:  
Concordemque animum, qui vincula seruet Amantum,  
Vincula quæ seræ durent ad Fata senectæ.  
Foecundum Latona torum, Latona perennem  
Prole domum, Latona genus per secula reddet.  
Quis dubitabit ad huc Hymenæos dicere sanctos?  
Sidere qui fausto pacti, nec ab ordine legum  
Discessere, quibus complausu hominesque Deique  
Assensere nouo: firmataque pacta probarunt.

DESCRIPTIO  
PESTILENTIÆ, QVÆ  
PRAGÆ, ALISQVE IN LOCIS  
Bohemiz anno hoc M.D. LXXXII.  
grassabatur.

AVTORE  
IOHANNES SELINIO  
ZATECENO.



PRAGÆ  
In officina Georgij Daclicent.

